Quelle: https://manuscripta.at/?ID=35036
Copyright: Brixen/Bressanone, Priesterseminar/Seminario Maggiore



clxxxvij

thania in domo ſymonis leprosi: accessit ad eum mulier habens alabastrum unguenti pretiosi. & effudit super caput ipsius recumbentis. Videntes autem discipuli indignati sunt dicentes. Ut quid perditio hec? Potuit enim istud venundari multo: & dari pauperibus. Sciens autem ihs. ait illis. Quid molesti estis huic mulieri. Opus enim bonum operata est in me. Nam semper pauperes habetis vobiscum: me autem non semper habebitis. Mittens enim hec unguentum hoc in corpus meum: ad sepeliendum me fecit. Amen dico vobis. ubicunque predicatum fuerit hoc euangelium in toto mundo dicetur. & quod hec fecit in memoriam eius. Tunc abiit unus de duodecim qui dicitur iudas scarioth. ad principes sacerdotum: & ait illi. Quid vultis mihi dare: et ego vobis eum tradam? At illi statuerunt ei triginta argenteos. Et exinde quærebat opportunitatem: ut eum traderet. Prima autem die azimorum accesserunt discipuli ad eum dicentes. Ubi vis parem tibi comedere pascha? At ihs dixit. Ite in ciuitatem ad quendam & dicite ei. Magister dicit. Tempus meum prope est: apud te facio pascha: cum discipulis meis. Et fecerunt discipuli sicut constituit illis ihs: & paraverunt pascha. Vespere autem facto discumbebat cum duodecim discipulis suis. & edentibus illis dixit. Amen dico vobis. quia unus vestrum me traditurus est. Et contristati valde ceperunt singuli dicere. Numquid ego sum domine? At ipse respondens ait. Qui intingit manum mecum in paropsidem. hic me tradet. filius quidem hominis vadit: sicut scriptum est de illo: ve autem homini illi per quem filius hominis tradetur: Bonum erat ei si non fuisset natus homo ille. Re

201